...eronymus
Episcopus Jessensis

Malicki Bartholom. Casimir. Votivum melos.

VOTIVUUM MELOS

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. HIERONYMO

De Magna Chrząstow

WIERZBOWSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO FESSENSI

SUFFRAGANEO, PRÆPOSITO,

& OFFICIALI GENERALI POSNANIENSI

dum primùm Episcopali Tiarâ insigniretur

præfatæq; Diœcesis gloriosus Suffraganeus denuntiaretur

à

MUSIS LUBRANSCIANIS

DECANTATUM.

& per

M. BARTHOLOMÆUM CASIMIRUM MALICKI, Phil: Doct.

atq; in Alma Academia Posnaniensi

Collegij Lubransciani Pòëseos Professorem.

neč non Conturbernij Szodłdrsciani Præfectum.

PROMULGATUM

Anno

DulCe MeLos eX qVo produXIt In àëre Verbum 1683

POSNANIÆ.

Typis Adm: Rndi D. ALBERTI LAKTANSKI.

IN GENTILITIVM STEMMA

JLLVSTRISSIMI PRÆSVLIS.



Si quæris quisquam SOLEÆ quid cum CRVCE nexûs?
Doctrinæ SOLEA est, CRVXq; salutis opùs.
Nempe erat hac Musis olim Parnassus apertus
Possidet hinc illam WIERZBOVIANA Domus.
Atqué vbi WIERZBOVII hostiles strauere cateruas,
Vngula quêis rapidi pectora fregit equi,
Cum CRVCE perueniens illuc WIERBOWSCIVS ALES
Sacratæ fidei dogmata clara tulit.

AD

Illustrissimum & Reuerendissimum Dn̄um

D. HIERONYMVM WIERZBOWSKI

EPISCOPVM FESSENSEM.

Effecit hoc irriguus extra fabulas de Gentilitijs dotibus Tuis placidâ quadam virtutum omnisque beneuolentiæ malaciâ in cunctos profluens amnis, vt nisi quoque Lubranscianæ Musæ augustissimo nomini Tuo recenter Episcopalem scandenti curulem nedum vocales ast tributarias se se fateantur, vel proorosum Icariæ redordiantur sonitum ruinæ, vel Tantaleis obruantur fluctibus, iure necessum sit. Illustrissime & Reuerendissime Antistes. *Guttam quidem Oceano aut minutissimam arenam Olympo subijcio, cùm impares maximis Tuis laudibus minimus Lubransciani Præses Parnassi instruo Musas; eò tamen securiùs à cœpta industria non deuio, quò perspicaciùs gloriosis Tuis operibus etiam eminentissimorum præconum inferiora elogia comperio. Manasse olim sudore ob insuetam Alexandri præsentiam Orphæi simulacrum fabulosa testatur antiquitas; at mihi in limpida laudum Tuarum freta fragili verborum cymba eluctanti ne ad ripam quidem tranasse concessum esset, si non eximiæ Tuæ beneuolentiæ transtra scandenti. Quippe nec Pactolo suam æstimationem, nisi ab aureo fundo: nec Gangi quodquam pretium, nisi à gemmifera arena: nec Musis meis quampiam cognosco inesse suauitatem, nisi suauem Illustrissimi Nominis Tui dulcedinem occinentibus. Cùm enim Pegaseum Natali origine insigne possideas, quoties vel diras rupes calcare volueris, toties harmonicas ad nouam Bœotiam conuocabis Sicelides iucundiori in dies plausu Tibi per æuum cantaturas. Quia tamen ex Gentilitio Tuo insigni Lubranscianis Charitibus iam iam hostili ferocitate prope suppressis & rursus surgere & dulcia quæque sugere benignâ cœlorum ordinatione datum est: ne magis dedecorum sit odisse quàm non nouisse, Tu quoque Illustrissime Præsul celeberrimæ Domûs Tuæ Heliconem fauens cognosce, & ad exoptatos pridemq; Virtutibus Tuis debitos honores inter tot canoros plau-*

dentium votorum sonos gratum modulari concede. Equidem dissonum hoc melos vix angustis perceptibile respondet casis, nihilominus magnorum Tuorum operum vbiq; stillante rore eòvsq; canorum sonabit, donec augustis quibusuis percipiatur gazis. Patere ergo Illustrissime Antistes exiles has camœnas spatioso orbi patere, & quò placidius illustrem Magnanimitatis Tuæ famam longæuis lustris per posthumam decantent memoriam, primus eas benignis auribus oculisq; Tuis lustra & illustra. Atque cùm iam nitidus gloriosâ candidorum Nisus Eurialorum cinctus coronâ sidereo Episcopalis dignitatis vngeris nectare, mihi cantaturas illustre hoc Tuum decus Musas permitte harmonicis choris nectere. Profluet resonabilis tantæ Tuæ præeminentiæ Echo cis vltima maris Adriatici ora, quam Castalius amnis Gentilitiâ Tuâ Pegaseæ non absimili Soleâ de arida rursus leuatus sterilitate plenis semper alueis propellet: quinimò salutiferam Illustrissimæ Domûs Tuæ deportans Crucem, dulci plausu Africanis repletis sedibus (ex quibus prælustris hæc Fessensis in Tuo capite illuxit Mitra) suauioribus gyris identidem totius Vniuersi ima replebit. Dudum Te exotici honores non exoticum sed Ciuem sibi fieri ambiebant, imò ipsum Orbis caput Roma de tenero vngue Tuo Magnanimum Te non vanè cognoscens fore Leonem suis profuturum immunitatibus præsagiebat optabatq;. At verò iam nunc quærens non quæsitus honos diuturno Te persecutus studio tandem applaudentibus cunctis Africanâ prouectus Mitrâ assecutus, non modicum victoriosæ luctæ suæ in corde Orthodoxorum triumphum genuit. Procede eburnâ hâc Curuli, quò Te non vulgaria fata benigno traxere consilio; sic tamen peregrinis medere honoribus, vt illis magnam duntaxat Nominis Maiestatem partiens, Patriæ nobisq; magno pro Te zelantibus voto salutiferam Tuam præsentiam semper domesticus Antistes breuiq; inuitantis iam Reipub. Polonæ gloriosus Senator impertias, attribuas. Et quoniam in tam remoto terrarum culmine dudum iam celeberrimum Nomen Tuum non peregrinat tantùm, sed has sublimes peragrat dignitates, iners ego Theseus candidæ huic operum Tuorum Ariadnæ (gloriosam intelligo famam) comites tantum triumphum orbi cantaturas accingens Musas à beneuolentissimâ Tua comitate auspicatissimam originem sumo.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Tuæ

Cliens deditissimus

B. C. M. P. D. & P.

MODVLAMEN MVSARUM

TOrpentes animi ſcopulæ in rupe ſedentes
Membraque odorato ſine tam diu languida fonte
Florida poſt tetrum tempus primordia ſumunt,
Hactenus inſuetos & mens vult pandere plauſus,
Perſuaues facili promanant ore camœnæ,
Caſtalius riuus cùm noſtras irrigat oras
Reſtituens vires Baiano dulciùs amne.
Quid ſubitò exortum, ſuperi quæ gratia cæli?
Aridus vnde Helicon potuit deſumere rorem?
Pegaſides tantis cùm negligat vngula luſtris.
Tu reſera dubium nobis hoc Augur Apollo,
Solicitaſque bonis rumoribus inſtrue mentes.
Pandite Sicelides dulciſſima vota ſorores
Fingite iucundo tremulas modulamine voces,
Lætificus latum procedat plauſus in orbem,
Quem meruit vobiſque dedit WIEZBOVSCIVS Ales.
Aruit in veſtris dudum Hippocrenè camœnis
Nec erat vnde ſonus mundo formetur amœnus.
Et mihi dulciloquos citharâ non pſallere cantus
Siſyphio grauior creſcebat pondere carcer.
Vtque ſitibundus fugitiuos Tantalus amnes
Captat, & in medio fruſtratur gurgite potu;
Tangere ſic citharam optabant mea plectra ſonoram
Atque expectatos orbi reſonare triumphos.
Sed Parnaſſus inops roris modulamina clauſit
Harmonico nequiens chordas mundare liquore.
Aſt iam veſtra hodie Muſæ Bœotia felix,
Fortunata dies peperit quæ hæc gaudia ſecum.
Nominis hinc veſtri pleniſſimus alueus ibit,
Siſtere nec poterit cunctis hæc gloria ſœclis,
Et fauſtum hoc tempus totum procedet in æuum.
Scilicet in veſtris riguus fons aruit oris
Depoſitiq; animi documenta famelica ſtabant.
Sed gaudete nouum genuit cùm Bellerophontem
WIERZBOVIANA Domus, qui ſcandens alta decorum
Pegaſeum manibus proprijs inſigne tenendo
Tellurem veſtram pedibus calcauit amandis,

Et ſiccum fontem Soleâ percuſſit amœna,
Diluuiumq; amnis concluſi dulce refecit.
Vobis Pierides abiecta hinc corda reſurgunt,
Et deſueti animi plauſum coguntur in altum.
Sed cur in claris perplexius hæreo rebus?
Gaudia qui peperit, en in altum proficit Author,
Diuque ſibi proprios nunc felix; ſcandit honores.
Ergo non ſegnes ſolitos aſſumite cantus
Enarrate diem votis felicibus almum
Dum vires annique ſinunt tolerate labores
Vobiſque ingenitum munus præbete Polono
Orbi, immortalem digno celebrando decore.
Ocyus ad plauſus animos conuertite veſtros
Lætitiæ Authoris per totam mittite terram
Nomen dulciferum, magnaſque ſtupeſcite dotes.
O rem victuris animis cedroque notandam!
Mentibus attonitis blandus quam tradis Apollo.
Excuſſum Soleâ Parnaſſum WIERZBOVIANA
Noſcimus ex dictis per apertos currere campos.
Hic nos Tantaleo ſolitus ſeducere potu
Aridus exiſtens reſerato gurgito totus.
Sed iam feſta dies cunctis celebranda diebus
Venit, cùm ad Tiaram Præſul digniſſimus iret,
Natiuâ obtúſam Soleâ pertingere rupem
Tardauit minimè, fluat vt decus inde ſuarum
Amplè virtutum, nec poſthuma ſæcula linquat.
Nec mora quod ſuades animos mutamus in altas
Nomini huic voces, alacri omnes pſallimus ore.
Det tuba clangentem ſonitum procul ære canoro
Tuque chelim nobiſcum Orphæu plecte ſonoram
Vt iuuenum atq; ſenũ cum plauſibus agmina currant.
Si tibi tangenti citharam nemus ire paratum,
Et duri lapides non tardant ducere choros
Cur non Sarmaticæ gentis prænobile germen
Victa tui plauſûs modulamine corda parabit?
Præſulis & famam per ſuauia vota reſoluet
Vocibus ac dignum lætis Antiſtite tanto
Io clamabit, nomen venerando vetuſtum,
Quod diuturna Viros genuit per ſæcula Magnos
Ardua celſarum virtutum culmina ſcandens,
Et natiua velut retinens ſublimia honorum
Poſſedit ſolia, ac altos committere faſces

Cui

Cui voluit, valuit. Sed non hìc meta decorum:
Noſcit nam hæc extra Patrios erumpere fines,
Et vix Herculeis creſcendo Gadibus impar
Vltima protenſi mundi confinia tentat,
Prodeat huc cunctorum oculis Iaſtrzembius ille
Extabat proprio gratus qui nomine cunctis,
Scilicet ex Superûm ſuggeſtu GRATIA dictus.
Quem fugit immenſum virtutis pondus in hocce?
Non niſi iudicio cui virtus fugit ab alto.
Ex Aquilæ nido Lechicæ cùm hic euolat Ales,
Ecce volant alieni illum conquirere pulli,
Atq; ferunt Mitram capiti ſubmittere digno.
Felices animas quibus hoc attingere miſſum eſt
Cælitus, vt vitæ nectant ſub Præſulæ tanto
Stamina, qui promptus metam vos duxit ad almam!
Factum eſt, Paſtorem reperit Vratislauia tantum
In quo virtutum præclara monilia cernens
Diuinum reputans auibus conferre ſecundis
Hoc opus, hinc cœpit Lecchos optare ſecundos.
Aſt quoq; Litthauicus Sonipes hinc ſuauiùs hinnit
Subijcit ac ſe ſe heroi captare Polono,
Lentos imponi cupiens vltro ſibi frenos,
Exuit Accipitri poſtquam probitate ferinam
Mentem, ac natiuo illius Soleatus honore
Stat firmus nullis patiens ſe impellere monſtris,
Iam ſi Tartareis ſatagens vrgere camelis
Marmariciſque ferox hoſtis graſſari elephantis
Inſtaret, minimè hic Gradipes deflectitur hiſce:
Qninimmo Lechicos currens vulgare triumphos
Proſtratis diris Parthis erectus in altum
Tot partas Patriæ palmas deportat in orbem.
Eccuius ductu mens hæc ſopita ferina?
Bucephalum hunc olim Macedo quis lenijt alter?
Ille ille antiſtes etymo Fortiſſimus, ille
Vilnenſi dederant quem mitia fata cathedræ.
Primus hic in domitum domuit, ſapienter habenas
Conſilio ponens & mitis baltea vitæ
Præcingens capiti, didicit quem ſolus in antris
Dilexiſſe pijs, Diuinis accola ſeruis.
Ergo iſtâ lumbos cœpit præcingere chordâ
Litthauicos, veræ fidei dans lampada claram.
Hinc gens miteſcens petijt iuga dulcia Chriſti
Deque

Deque ſuo extrudens contriuit tergore ſana
Permanet vſque hodie cæleſti laude triumphans.
    Patria quid loquitur de dotibus Accipitrorum
Eximijs ſanè narrandis laudibus impar
Dulci proſequitur præſentia facta ſtupore.
    Dudum te ô Aquila expectant celantia mortem
Retia: Biſtonicæ Lunæ feruoribus vſta
Quinimò combuſta feris in paſcua diris
Veniſſes, niſi te pullus non degener altis
Syrtibus erueret toties, & peruigil extans
Excubias ageret tecum, ſimul æmulus arti
Naturæque tuæ, ſcopulis allidere duris
Iuuiſſet more Alcidæ reuirentibus hydris
Septenum capitis monſtrum vno corripere ictu.
    Gaudeat Ætherijs Ales Iaſtrzembius oris,
Detulit ambroſijs Diuorum quoſque nepotes
Dulci exoptatam delectant nectare vitam.
    Fruſtra terreſtri cantamus carmine tantos
Quêis cæleſte melos applauditur ordine miro:
Præſuleis Tiaris claros, multumque potentes
Pacificæ quos dona Togæ toto orbe canebant
Solennes, atroxque Sagum felicia Marte
Facta fauente gerens, rudibus non ſuauia Gætis
Funera cauſando, celebres ad ſidera tollit.
    Quiſquis ades, cui grata Domûs ſunt Accipitrinæ
Lumina, defixos flectas ſecus æthera vultus
Enumera cæli luces, gyroſque meantes
Et numerabis eos orti qui WIERZBOWIANA
Styrpe perennabant altas ſcandendo curules.
    Hinc alij vadunt hoſtili ſanguine ſparſi
Aurea quos Regum Zelislaos dextra ſalutat
Et cum Magnanimo candentia vulnera ſtringit.
    Sic ſic noſcit amor necibus ſua mēbra relinquit
Semper vt intactâ vigeat caput integritate.
    Sunt alij officio clarentes Mercuriali:
Nuncius hic Diuûm eſt gaudens quoq; ſede Deorum
Legatus ſolus legitur, Conſuſque fidelis.
    Eia videte Domum delectam Wierzbowianam
Quam Numen Lechicum Diuina oracula cenſens.
Quot regno hæc peperit Conſos, quot Mercurioſq;
Qui celeri pedibus nectunt talaria niſu.
Vt Patria immunis tutò requieſcere poſſit
Vltro

Vltro laboriferis ſe ſe miſcere periclis
Audent, nec ſatagunt propriæ diſpendia vitæ
Tollere, ſed cupiunt cunctos tolerare labores,
Patria tollatur ne vnquam, tetrâq; laboret
Debilitate, altâ ſed pace fruatur in ævum.
Nil ipſis Alpes obſtant, nil Caucaſus ingens,
Rumpunt dilectæ ſplendentia tecta quietis,
Et blandos vitæ Socios & Pignora chara
Et menſas ſiculas ſpernunt, ac invia quæque
Calcando ſubeunt atroces mille labores.
Iaſonidæ fauſti vndiſonos tranſcendere fluctus
Haud quaquam ignari, ſpectatæ vellera pacis
Lucrantur toties, quoties exquirere Delphos
Præcipit optatum Patriæ decus ac pia cauſa.
Huc Mauſolei rumpentes vincla ſepulchri
Adſitis Proceres ope clari WIERZBOVIANÆ
Virtutis, præſtat Veſtrum conſurgere Nomen
Et dare uicturo ſcribendum in marmore rurſus.
En primus de illis verâ virtute Ter Albus
Caſtellanus adeſt nobis Inowłodauienſis
Et Siſmûnde Tibi iuſtum eſt attollere tumbas
Faſcia quem cinxit vexilli Lancicienſis.
Surgite centeni quoſquos Wierzbowſcia Virtus
Condidit, atque frui permiſit pace quieta.
Impar erit mundo Muſarum Munia Veſtrî
Vox cantans, cantant faſti ſed dulce Lechorum:
Vt vobis inerat Magnatum nectere corda
Et pia totius tractare negotia Regni.
Hinc iam ſi tenuem fas eſſet claudere rivum,
Famæque imparibus frenos imponere dictis.
Non fas rumpentem labijs ſuſpendere vocem,
Et iuſtas laudes ſpatioſo carpere mundo.
Si nullas noſſênt Maiorum ſæcla Tuorum
Præuia uirtutes, vivis Digniſſime Præſul
Ac viuas laudes longinquos mittis ad Indos:
Cùm gaudes gemino ſæcli præſentis honore:
Alter de Patrio, Patruo alter ſanguine manat.
Clarior excelſo tantorum ſidere Virtus,
Extremiſque oris ſolennis gloria regnat,
Et fama exuperans cunctas vaga permeat vrbes,
Nec finit anguſtis laudum ſe ſtringere faſtis.
Sed lubet inſignes Muſis attingere dotes

Seu potius populi plaudentis vota referre
Et dare de noſtris redeuntem rupibus Echo.
Credite vix unquam Iupiter magis anxius orbi
Solicito ſtatuit Saturnia mittere ſæclâ,
Quàm cùm Wierzbovia duxit de Styrpe CORONAM,
Et Poſnæ orbatam Mitram diu ſupplice turbâ
Ornans, manſuetis ouibus ſubmittere Athletam
Dignatus: Duce quo ſtygias eludere technas
Diſcunt, ac ſub eo Polemarcho mente feroci
Audent Tartareæ gentis turbare cateruas,
Et ſoli cæleſti Agno præſtant Hecatomben.
O tanto decies Poſnania Præſule fauſta!
Fauſtior at longè hoc rerum ſapiente Catone
Ordo Senatorum! quoties ſuaui intonat ore,
Semper ineuitabilia orbi oracula dictat.
Nec minus hinc Craciæ felix Academia ſplendor,
Mater quæ quondam extiterat, nunc Filia plaudit,
Tutorem fieri grato lætatur alumno.
Lechia Patrono cunctis fauſtiſſima tota!
Pro Te curarum qui ingentia pondera portans
Nunc agit inſomni flagrantia vota labore
Regia Diuinæ permiſcens munera Sedi.
Et velut entheo cœleſti viſcera pandens
Diuinas laudes conatu differit omni.
Quomodo ſed Muſæ mundo narrabimus illum?
Sidera quem celebrem toto orbe volentia pangi
Dignaſque æthereis Virtutes ſedibus eius,
Elegere ſibi placidam in ditionibus Aram,
Hieruſalemque nouam fieri cupiere per illum,
Inſolitis ſignis lætos monſtrantia campos:
Viſtula quos placidis in gyrum fluctibus ambit
Trans freta Diuinam profundens Baltica laudem.
Nec mora mandatũ Salomon hic Numinis implet
Quantumque in terris Diuino munere ſumpſit
In cælos rurſus tanta omnia dona refundens
Conſecrat ſtatuens Superûm tot Templa decori.
Numen quot plagis germen terreſtre redemit.
Inter quæ mediâ floret noua Pallas in æde
Atque recens Helicon latum circumfluit orbem.
Non tamen & noſttas vult corde elidere rupes
Antiſtes clemens, ſtatuiſſe Lubranſcia Virtus
Quas bene dignata eſt milleno augendo fauore,
Aſt

Ast semper rebus claris inuisa vetustàs
Hostilisque pios populans dementia fructus
Vertisset nostræ prælustria culmina sedis,
Troianæ iungens hæc impia funera cladi:
Hic nisi Patronus titubantia Pergama fulcro
Præsulei cordis iuuisset, pignus amoris
Contestans cantaturis sua Nomina Musis.
Ergo Lubranscii fontis veterata reclusit
Ora, & consumptas vires reuirescere fecit.
Præstitit æternæ quoque tintinnabula famæ,
Vnde ceres gratis stipando tempora Musis
Viuificisque bonis sæpè harmonica ora coronans
Grande locuturas totum sustentat in ævum
Wierzbowiæq; iubet Domui bene plaudere semper.
Hæc sunt, quæ Patruo manant Meritissime Præsul
Ornamenta Tibi præeuntia sanguine claro:
Colligis ast totidem Patrio de stemmate gemmas
Nectens æternam Magno Genitore coronam
Filius, & solus Patris dilecta corona,
Exemplar viuum, probitatis imago Paternæ.
Scilicet hoc seruat rerum bene prouida Mater
Natura, vt similes profundant semina fructus
Styrpeque de clara generosus profluat ortus.
Vnde fouens alto Genitor sub pectore dulcem
Ætatum nullo vitiandam crimine famam,
Quâ toties Styrpem repleuit Wierzbowianam,
Profuit & iam iam Patriæ lapsæ integritati;
Ora quot Odrysiæ nativâ infringere turbæ
(Pectora Threicijs firmè opponendo pharetris)
Dignatus Soleâ, ac iucundo, mordicus ausu
Xerxeas plane inuictus turbando cateruas,
Bistona non trepidus protrusit corde virili,
Ostenditq; Viros non solam gignere spartam.
O dignam decies dextram! cui credere tutò
Possint armigeri heroes Insignia Martis,
Oreque Magnanimo prospectent classica belli,
En manibus tantis vexillum Lanciciense
Splendet, & attriti testatur dogmata Turcæ.
Cernite gestantem Insigne hoc, faustèque gerentem,
Attollit dextram quoties, toties in Tartara diros
Accendit bellaturos læto omine Lecchos.
Ast parum reputans Heroi Patria tantò

Plus parat excelsi Patrono huic condere honoris,
Optat eburato citiùs splendere curuli,
Splendeat à tanto magìs vt dotata camillo.
Verùm Author pacis solitus conquirere pacem
Pro Patria, pro se quoq; suauiter ambit eandem.
Eligit optatam pacatus ducere vitam,
Perspicuos alijs dignans comittere fasces,
Pro meritis proprijs solâ gaudendo quiete.
Sæpius inuitum sublime inuitat honoris
Culmen, & excelsam suadet non spernere famam;
Sedatus Marius renuens sed scandere celsum,
Consulit intutum hoc alijs immittere donum.
O quantò longè meliùs præcelsa mereri
Munia, quamq; illis dextram præbere sagacem!
Candidus hoc Regni Ciuis diu pondere mentis
Sollicitè uersans, semper communia curans
Priuatâ cupijt vivax in sorte manere.
Falleris inde tamen (nobis Vir parce benigne)
Pacatam reputans præsentem existere vitam.
Non est priuatus, meriti quem copia terris
Pandit, & immensum decantat gloria parta.
Si tamen hoc fieret solo Te Consule visum,
Publica de Magno non Te sinit aura Nepote.
Iam pius Anchises populi certissima vota
Æneam nutrit, Patriæ non irrita fulcra
Atque suæ columen venerandæ grande senectæ.
Quare optans olim laribus prodesse Polonis
Sincerus Chiron generosum præbet Achillem.
Et ne vnquam Paridum missilia tela nocerent
Castalio cerebrum mox prouidus abluit amne.
Ausoniæ sed eum subitò sumpsere camœnæ
Indolis ingenio tantæ florere petentes.
Respondit votis Iuuenis pulcherrimus almis,
Cùm extemplò Roma eximio perfusa stupore,
Moribus ex teneris coniecit nil mediocre,
Omnia sed meritò censens præcelsa futura
Sarmaticæ genti decus hoc inuisa canebat:
Maturusne senex an adhuc florente iuuentâ
Præstaret tantum decoris, diu pondere mentis
Attonitæ quassata stetit mirataq; dotes.
Iamque illum siue ornanti sua viscera Mitræ
Seu cataphractorum cupiens præponere fronti,
Spe

Spe magnâ Ausonios voluit dotare Penates.
Quis tamen ignorat, quantâ dulcedine cunctos
Oblectat natale solum, tumque allicit ad se,
Scintillâ simili candoris pectore toto
Vir dignus flagrans, replet domestica vota,
Iucundum Patriæ properans transcendere limen.
Hic simul impleuit Romam variata dolore
Sors, quam præfixis audens eludere donis,
Optatum Lechicas rursus deportat in oras.
Regia tunc mirè pergratum Gaza salutans
Postibus excelsis annectere tentat eundem.
Æstuat inuictum Celsi cor Principis hocce
Arcanis vti in strictis Ganymede fideli.
Accelerant Consi optantes Insigne Parentis,
Candida quem Virtus prouectâ ætate beando,
Decrepitum liberat Vexilli pondere claro.
Prouocat ad tetras atrox Bellona cateruas
Inque sinum profert iactans sua munia Mauors.
Tunc zelans heros velut alter Mutius ardens
Talia consilio grandi in se voluere cœpit.
Sæpeque de tacita hæc erupit gloria mente:
O mihi quis tribuat, præsentem vt pendere vitam
Ocyus & proprio fluitare in sanguine possim,
Dummodò sorbentes Patriam compescere hiatus
Occiduus valeam non serò Curtius alter.
Verte sed infixum passum Vir Maxime verte:
Altera namque suum Te expectat Vinea sponsum.
Non vni Patriæ fies mox strenuus heros,
Sed fies cælis gratus sine sanguine Martyr:
Cùm Tua non renues sacratæ pectora doti
Et celsam tribues mentem donare Tonanti.
Arripuit traxitque Virum fax mentis honesta
Gloria, quæ superos semper dispensat honores.
Iam lumbos alacris cingit, iam suauia Christi
Deportare iuga assuescit, iam nectare miro
Fundit inexhaustum flumen cœleste salutis.
Fit legum Mitræq; tuæ Posnania Custos:
Sic sanè decuit, tantos conferre decores
Huic, qui cunctorum scit custodire salutem.
Euge sed in paucis Diuorum serue fidelis,
Non præstat modio præclaram condere lucem,
Cara nec in modicis tam diu versare talenta.

Conuenit in celso fulgere hoc culmine lumen,
Latiùs vt visâ morum probitate piorum
Arbiter æternus per cunctos glorificetur.
Et meritò maior pridemque hoc Præsule digna
Occurrit sedes Posnensis Præpositurae.
Hac pius effulgens Præsul lustro ampliùs vno
Vota Peraugustæ liquidè claudendo Coronæ
Officio dignè Meritissimus Officialis
Respondit, suaues curans profundere suadas.
Verùm Virtutem veram donec explet in æquo
Eluctatur honos, patitur nec sumere frenos
In vetitum tendit, sibi debita culmina quærens
Angustis rarò patiens se claudere tectis.
Hoc medio Præsul noster dum luce coruscat
Longè virtutum Phariam dimittere flammam
Non cessans, semper cælestes ardet ad Aras,
Et specimen clarum Diuino præbet ouili,
Inclyta sic cupiens uitæ connectere fila.
Macte sed ô præstans animo Præsul pie macte!
Cœlitus en directus honos Tua tecta subire
Quærit, & illustrem Capiti committere Mitram
Accedit, supero veniens à Numine missus.
Ergone Diuinos audes dissoluere nexus?
Audes Fatorum fugiens vitare statuta?
Siste gradum, atq; humeros tanto submitte labori
Quem tibi Fessensis diu supplex Infula monstrat.
Factum est Antistes renuens non templa Laboris,
Quem sed Honos longo luctantem tempore nouit,
Instinctu Supêrum ceruices flectere Mitræ
Iam renuit minimè: quem Vos cernendo Sodales
Atq; omnis tanto congaudens turba decore,
Pulsando lætis optantia sidera choris,
Exortum in terris venerari currite Sidus,
Tam faustumq; diem æternis præbete columnis.
Ampliùs ast fragilem fandi concredere cymbam
Infreta Virtutis non præstat Wierzbovianæ
Quærit aquas in aquis & poma fugacia captat.
Tantalus, vt fama est, cassâ formidine torpens,
Garrula probrosas cui pœnas ora dedere.
Et nos Tantaleus maneat ne casus, Apollo
Wierzboviam dignè ignorantes psallere famam,
Ad ripam rursus pauitantia vela repelle,

Pectore nobiscum tacito potiùs venerare
Wierzbovias dores; Sed eat iucunda per orbem,
Gloria decantans Virtutes Accipitrinas.
Iam Musæ tanto deffessæ pondere riuos
Claudimus, atq; simul tecum resonamus Apollo
Vnica Præsuleæ probitati vota canendo:
O qui Nominibus cùm sit generosus Auitis,
Omne decus generis superat morum integritate!
Qui dat & exstinctos iteratò viuere Manes,
Is reuocet Piliæ firmissima stamina vitæ
Et tanto ætatem tribuens Antistite dignam
Posthuma dulciferis operum eius sæcula donis
Confirmet, faciensque diù pia facta vigere,
Gemmifero blandè hæc conspergat vellera rore:
Vt iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ
Tot numerans Præsul suaues Hieronymus annos
Viuat, & augustam Virtutis fundat ad Indos
Famam, ac SACRATO stipatus NOMINE, Musis
Sacras Virtutes fundendas tradat in æuum.